

alias esse cornibus armatas, alias habere effugia pennarum. Pastum autem animantibus large et copiose natura eum, qui cuique aptus erat, comparavit. Enumerare possum ad eum pastum capessendum conficiendumque, quae sit in figuris animantium, et quam sollers subtilisque descriptio partium, quamque admirabilis fabrica membrorum. Omnia enim, quae quidem intus inclusa sunt, ita nata atque ita locata sunt, ut nihil eorum supervacaneum sit, nihil ad vitam retinendam non necessarium. Dedit autem eadem natura belluis et sensum et appetitum; ut altero conatum haberent ad naturales partus capessendos, altero secernerent pestifera a salutaribus. Jam vero alia animalia gradiendo, alia serpendo ad pastum accedunt, alia volando, alia nando: cibumque partim oris hiatu, et dentibus ipsis capessunt, partim unguium tenacitate arripiunt, partim aduncitate rostrorum: alia sugunt, alia carpunt, alia vorant, alia mandunt. Atque etiam aliorum ea est humilitas, ut cibum terrestrem rostris facile contingant. Quae autem altiora sunt, ut anseres et cygni, ut grues, ut cameli: adjuvantur proceritate collorum. Manus etiam data elephantis, quia propter magnitudinem corporis difficiles aditus habebant ad pastum.

Cap. XLVIII. At, quibus bestiis erat is cibus, ut alius generis bestiis vescerentur, aut vires natura dedit, aut celeritatem. Data est quibusdam etiam machinatio quaedam atque sollertia: ut in araneolis, aliae quasi rete texunt, ut, si quid inhaeserit, conficiant: aliae autem ex inopinato observant, et si quid incidit, arripiunt, idque consumunt. Pina vero (sic enim Graece dicitur), duabus grandibus patula conchis, cum parva squilla quasi societatem coit comparandi cibi. Itaque quum pisciculi parvi in concham hiantem innataverunt, tum admonita squilla morsu pina comprimit conchas. Sic dissimillimis bestiolis communiter cibus quaeritur. In quo admirandum est, congressune aliquo inter se, an jam inde ab